

4987 7658
D. A. G.
SPECIMEN ACADEMICUM,
QUO

36
EUPHORBIA

ETJUSQUE

HISTORIA NATURALIS ET MEDICA
EXHIBETUR,

CONSENT. NOBILISS. ET EXPER. FAC. MED.
IN ILLUSTR. ACAD. UPSALIENSI,

PRÆSIDE,

NOBILISSIMO ATQUE CELEBERRIMO VIRO

**DN. DOCT. CAROLO
LINNÆO,**

S:Æ R:Æ M:TIS ARCHIATRO,
MED. ET BOTAN. PROFESSORE REG. ET ORD.
ACAD. IMPER. N. C. MONSPEL. BEROL. TOLOS.
STOCKH. ET UPSAL. SOCIO,
PUBLICE VENTILANDUM SISTIT

JOHANNES WIMAN,
FIERDHUNDRENSIS.

IN AUDIT. CAR. MAJ. AD DIEM VI. MAJI,
ANNI MDCCLII.

H. A. M. S.

UPSALIÆ, EXCUDIT L. M. HÖJER, R. A. TYP.

S:Æ R:Æ M:TIS
CUBICULARIO,

NOBILISSIMO atque GENEROSISSIMO DOMINO,

D:NO ISRAËLI
BROMAN,
MÆCENATI SUMMO.


Primum studiorum meorum fœtum, in publicam editurus lucem, anxius omnino mecum reputavi, unde ipsi, nullo quidem suo corruscanti splendore, nitorem jubarque conciliarem. Animi vero dubium confirmavit summa illa gratia, qua Tu, Nob. D:ne Cubicularie Regie, me semper amplexus es, & jam quasi ultro advocas. Offero itaque Tibi, Mæcenas Summe, omni, qua par est animi veneratione, hæcce ætatis meæ juvenilis libamina, quæ eo majori jure Tibi sunt sacrandæ, quo semper in Te certiozem Evergetam & Fautorem habere mihi contigit. Si artificiosa verborum pompa & calamistratis verbis Te delectari crederem, primus omnino forem, qui hanc meam audaciam damnarem, jam vero, cum probe sciam, Te nihil æque ac venerabundum sincerumque respicere animum, priorem potius metum suffocandum duxi, quam ut ingrati notam incurram. Vivas vero diu felix, & dum me pro perenni Tuo atque Generosissimæ Familiæ Tuæ flore perpetuo ad Deum O. M. vota fundere animadvertas, fac, mihi ne deneges favorem, quem in summo lucro semper ponam, ad extremum vitæ halitum permanens

NOBILISSIMI atque GENEROSISSIMI NOMINIS TUI

cultor atque cliens devotissimus

JOHANNES J. F. WIMAN.

Scientia Botanica, licet admodum ampla, studio tamen & opera eorum, qui in illa excolenda mirifice desudarunt, systematicorum nempe, hisce temporibus adeo crevit, tantumque consecuta est splendoris, ut paucis aliis cedat scientiis. Hoc autem vel inde factum est, quia Botanici herbas in ordinem, ad distincta genera naturalia, & hæc in suas species redigere, easque characteribus sufficientibus, sumtis a fructificatione, ea nimirum parte, qua res aut scientia maxime illustratur & perspicua fit, ornarunt. Ex Plantarum Generibus alterum numero specierum alterum superat, multa enim occurrunt plantarum genera, quæ una solum gaudent specie, paucissima vero ea, quæ numerum quinquagenarium transeunt. Quo plures sub se species comprehendit Genus, eo majori Botanico- rum eget industria, ut selectus specierum iis fiat magis clarus & evidens. Omnium Generum Plantarum, quantum vel ego novi, nullum, Specierum copia Euphorbiæ præcedit, quo fit, ut Euphorbiæ species difficiliter dignoscantur. In EUPHORBIAE speciebus itaque illustrandis, mea qualiscunque opera, orbi Botanico, ut spero, non injucunda, versabitur, doleo vero, omnes has species vivas, vidi tamen plurimas, occasionem mihi, ut videndi, ita quoque sub incudem revocandi, fuisse ademptam; unde, si Tuo, L. B. desiderio ex asse satisfacere minus potis fuero, non est quod mireris, potiusque meo innoxio conamini faveas.



NOMINA.



EUPHORBIA nominata fuit a Juba, Lybiae Rege, in memoriam Medici sui Euphorbi. PLIN. L. 25. c. 7. invenit, & patrum nostrorum ætate Rex Juba, quam appellavit Euphorbiam, medici sui nomine & fratris Musæ. Sed Jubæ volumen quoque exstat de ea herba, & clarum præconium. PLUKENETIUS (e Rolfinc. de purgant.) Duo erant fratres Antonius Musa & Euphorbus; ille Augusti Cesaris, hic Jubæ Mauritanie Regis Medicus. Ille Augusto, jecinore vitato, & ad desperationem redacto, contrariam & anticipitem medendi rationem præscribit, frigidis exterius, interius Lactuca; re feliciter peracta, medico statua decreta est. Juba autem, ne suo medico nil dedisse videretur, Plantam Euphorbio dedit, deque ea integrum librum scripsit. Ubi jam musæ statua? periit! evanuit! Euphorbii autem perdurat, perennat, nec unquam destrui potest. Crit. Bot. 86.

TITHYMALUS a τῆς mater, & μαλακός mollis; quia lac fundit.

CHARACIAS, quasi vallaris, a καράκιω, vallo.

PEPLUS & PEPLUM erat vestis genus apud veteres, de quo Plautus, Virgilius, alique veteres videntur.

LATHYRIS.

CATAPUTIA, quod propinabatur in Catapotis s. pilulis.

ESULA, forte nomen barbarum, vel etiam dicta ab oppido, inter Tibur & Præneste, Horat. 3. 29. 6.

PITHYUSA a *πίθος*, pinus, quia folia gerit pini s. abietis.

MYRSINITES, quod folia gestabat myrti.

APIOS a radice pyriformi.

CHAMESYCE, quasi humilis ficus.

GENUS.

EUPHORBIA.

CAL. *Perianthium* monophyllum, turbinatum, subventricosum, rugosum, coloratum, marcescens.

COR. *Petala* quatuor s. quinque, turbinata, gibba, crassa, truncata, situ inæqualia, horizontaliter dentibus calycinis infidentia, marcescentia.

STAM. *Filamenta* plura (duodecim ad sedecim), filiformia, inæquali tempore prodeuntia.
Antherae globosæ, didymæ.

PIST. *Germen* subrotundum, obtuse trigonum, pedicellatum. *Styli* tres, divaricati. *Stigmata* obtusa, bipartita.

PERICARP. *Capsula* subrotunda, obtusa triquetra, pedicellata, trilocularis, trivalvis, elastica.

SEM. solitaria, subrotunda.

Obs. PETALA in plurimis speciebus sunt peltata & quasi glandulæ, quæ fecernunt liquorem quendam: *Euphorbia corollata* 38 satis superque ostendit, has peltas esse petala, tamque manifesta, ac in Lino. *Petala*, qua maximam partem *integra* 39. 42. 44. 47. sunt, sed in *Euphorbia* 9. sunt palmata, in aliis lunata, 39. 44. in aliis ovata, in aliis orbiculata. *Capsula* in quibusdam glabra, 27. 29. 30. 42. 51. in aliis autem hirsuta 39., aliis verrucosa. 32. 47. 50. *Flores* sunt plerumque *hermaphroditi*, in multis tamen ex umbellatis, sunt primi *Flores umbellæ universalis & partialis masculini* 43. 44. 47. 52. & in ulteriori *dichotomia hermaphroditi*; quid quod tum in uno flore sunt quatuor, in altero vero quinque petala. *Character* itaque *essentialis* consistit in capsula tricocca, cum Calyce, qui ex summis dentibus petala producit

STRUCTURA.

RADIX in quibusdam fibrosa annua 42, in aliis biennis 30. in nonnullis perennis 47. in aliis frutescens & arborefcens 4. 10. 11. 12. 15. 33. 44. 51.

FOLIA in omnibus simplicia, vix laciniata, minime multifida, in plerisque alterna 4. 12. 29. 34. 39. 42. 34. in multis opposita 15. 16. 18. 20. 22. 23. 24. 30. 33. in aliis quoque plane nulla 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 10. 11. & hæ herbæ sunt plerumque aculeatæ & multangulares. Illæ species, quæ in *Europa* crescunt, sunt tantum non omnes **UMBELLATÆ**, umbellæ vero earum sunt irregulares umbellulis dichotomis, quæ ad primariam divisionem in trifidas & quadrifidas abeunt. Et umbella universalis & partialis gaudent suis **INVOLUCRIS**, aliis integerrimis, aliis ferratis. Species *Indicæ*, illæ in primis, quæ extra tropicos crescunt,

scunt, caulibus sunt ornatae dichotomis, & floribus minime umbellatis, sed earum petala sunt praeter aliis magis distincta, & habent folia opposita, quaeque etiam magis procumbunt. Illae vero, quae intra tropicos habitant, aphyllae plerumque sunt, iisque sunt flores sessiles, adeo ut, quando caulis consideretur tanquam radix, conspicienti simplicissima herba, constans tantummodo flore, in caudice ascendente erigitur, sine foliis, caule & tulcro ob oculos versetur.

CLASSIS NATURALIS.

EUPHORBIA est medium, quod intercedit *Cambogiam* & *Dalechampiam*. Omnes ejus, quae mihi innotuere species, succum habent lacteum, eumque in plurimis corrodentem, licet ita nominata *Esula dulcis* 35 abhinc a quibusdam liberetur, qui eam oleraceam proclamant; Certum tamen est, me nullam harum primus edere velle, quia succus harum eandem in nostrum corpus habet vim, ac Aqua Fortis in Ferrum, nempe, ubicunque nos tangat, atque superveniat, corrodit.

EUPHORBIVM *Isnardi* in *Act. Parisinis*. **TITHYMALUS** *Tournefortii*, **TITHYMALOIDES** *Tournefort.* & **ESULA** *Rivini*, in unum genus a Cel. D. Praef. optime sunt redacta; quia limites in natura frustra quaereret ars, nisi Creator O. M. illos ordinasset. Quaedam enim Euphorbiae species adeo nudae sunt, ut nemo, sat validis argumentis nixus, certe dicere valuerit, an foliosae sint necne, quam ob causam haut immerito *seminudae* audiunt. Haud aliter, ac si *Tithymaloides* sola esset irregularis, cum tamen certum sit, calycem in pluribus

non

non tantum basi ab inferiori latere magis gibbum existere, sed etiam margine in dentes dividi inæquales, existente scilicet inter duos denticulos hiatus latiore.

NOTÆ SPECIFICÆ in hoc difficili genere apparent sufficientissimæ, si modo Botanicis sequentes attendere non displiceat: scilicet utrum

- 1:0 RADIX *annua, biennis, perennis, frutex aut arbor.*
- 2:0 CAULIS *nudus, teres, aut angulatus.*
- 3:0 FOLIA *opposita vel alterna, eorumque figura.*
- 4:0 UMBELLA *universalis, partialis & dichotoma, cum ejus involucris.*
- 5:0 FLORES *hermaphroditi aut masculi, petalis integris, lunatis, aut palmatis &c.*
- 6:0 CAPSULA *hirsuta, verrucosa, aut glabra.*

EUPHORBIAE species sunt vel:

- I:0 *Arborescentes succulentæ: a 1. ad 15.*
- II:0 *Dichotomæ, involucro tantum diphylo. 18. 25.*
- III:0 *Umbella primaria trifida triphylla 26. 29.*
- IV:0 *Umbella primaria quadrifida. 30.*
- V:0 *Umbella primaria quinquifida 31. 43.*
- VI:0 *Umbella primaria multifida polyphylla 44 ad finem.*

SPECIES.

I:0 EUPHORBIA *aculeata subnuda triangularis articulata, ramis patentibus. Hort. cliff. 196. Hort. ups. 138. Fl. zeyl. 199. Roy lugdb. 194.*

Tithymalus aizoides triangularis & quadrangularis articulatus & spinosus, ramis compressis, Comm præl. 21. 55. t. 5.

Euphorbium trigonum spinosum rotundifolium. *Isnard. act. 1720. p. 500. Burm. zeyl. 96.*

β. Euphorbium antiquorum verum. *Comm. hort. 1. p. 23. t. 12.*

Euphorbium trigonum & tetragonum spinosum, ramis compressis. *Isn. act. 1720. p. 500. Burm. zeyl. 96.*

Schadidacalli. *Rheed. mal. 1. 2. p. 81. t. 42.*

Habitat in India Orientali.

DESCR. Caulis angulis tribus margine repandis, articulatus fere. Rami horizontales, alis sæpius duabus horizontalibus, margine repandis. angulis insident Aculei duo, oppositi, & supra hos Foliolum minimum, ovato-lanceolatum, deciduum.

2. EUPHORBIA aculeata nuda quinquangularis, aculeis geminatis. *Hort. cliff. 196. ups. 138. Roy. lugdb. 194.*

Tithymalus aizoides fruticosus canariensis aphyllus quadrangularis & quinquangularis, spinis geminis aduncis atronitentibus armatus. *Commel. hort. 2. p. 207. t. 104.*

Tithymalus aizoides lactifluus sive Euphorbia canariensis quadrilatera & quinquelatera, cerei effigie, ad angulos per crebra intervalla spinis rectis atronitentibus gazellæ cornua referentibus armata. *Pluk. alm. 370. t. 320. f. 2.*

Habitat in Canariis.

DESCR. Caulis rectus, integer, quadrangularis, angulis compresso planis, spinis duabus oppositis armatus. Folia nulla.

3. EUPHORBIA aculeata nuda multangularis, aculeis geminatis. *Hort. cliff. 196. ups. 138. Roy. lugdb. 195.*

Eu-

Euphorbium polygonum spinosum, Cerei effigie. *Isn.*
act. 1720. p. 500. t. 10.

Euphorbium cerei effigie, caulibus crassioribus, spinis
validioribus armatum. *Comm. hort.* 1. p. 21. t. 11. *Seb.*
thes. 1. p. 29. t. 19. f. 2.

Euphorbium. *Baub.* pin. 307.

Habitat in Æthiopia & Africa calidiori.

DESCR. Caulis erectus, teres, sæpius simplex, sulcis
octodecim aut pluribus longitudinalibus exaratus. A-
culei ubique duo. Folia nulla, at eorum loco tu-
berculum acuminatum, supra & juxta aculeorum
par; & cum adhuc tenelli sunt aculei, eandem fere
ac folia ferunt faciem, sed folium contabescit, acu-
lei vero indurantur.

4. EUPHORBIA inermis subnuda fruticosa filiformis
flaccida, foliis alternis. *Hort. cliff.* 197. *upf.* 140.
Roy. lugdb. 195.

Tithymalus aphyllus mauritanie. *Dill. elth.* 384.
t. 289.

Habitat in Africae maritimis.

DESCR. Caulis perennis, filiformis, crassitie penne
anserine, quinque pedum; debilis, rarius ramo-
sus, rectus, flaccidus (non volubilis). Folia in sum-
mis ramulis alterna, lanceolata, sessilia.

5. EUPHORBIA aculeata nuda multangularis, spinis
solitariis subulatis *Roy. lugdb.* B. 195.

Euphorbium polygonum spinosum, cerei effigie. *Isn.*
act. 1720. p. 585.

Euphorbium cerei effigie, caulibus gracilioribus. *Boerh.*
lugd. I. p. 258.

Euphorbium aphyllum angulosum, florum coma den-
sissima. *Burm. afric.* 19. t. 2. f. 3.

Tithymalus Africanus spinosus, cerei effigie. Morif. hist. 3. p. 346. Pluk. alm. 370. t. 231. f. 1.
Habitat in Æthiopia.

6. *EUPHORBIA aculeata nuda: angulis tuberosis, spinis interstinctis.*

Euphorbium polygonum, aculeis longioribus ex tuberculorum internodiis prodeuntibus. Inard. act. 1720. p. 386.

Tithymalus aizoides, Africanus: validissimis spinis ex tuberculorum internodiis provenientes. Comm. præl. 59. t. 9.

Habitat in Æthiopia.

7. *EUPHORBIA aculeata nuda septemangularis, spinis solitariis subulatis floriferis. Hort. cliff. 196. Roy. lugdbat. 199.*

Euphorbium heptagonum, spinis longissimis, in apice frugiferis Bærh. lugdbat. 1. p. 258. t. 258.

DESCR. *Caulis heptagonus, obtusus, hinc inde ramosus, aculei setacei, rigidi, solitarii, longitudinaliter ex anguli singuli dorso ciliatim prodeunt; flores ex apice aculei interdum prodeunt, sed solitarii, methodo sine pari.*

8. *EUPHORBIA aculeata & seminuda, angulis oblique tuberculatis. Hort. cliff. 196. Hort. ups. 139. Fl. zeil. 200. Roi. lugdbat. 194.*

Euphorbium afrum spinosum, foliis latioribus non spinosis Seb. thes. 1. p. 18. t. 9. f. 6.

Euphorbium spinosum, amplo nerii folio. In. act. 1720. p. 501.

Euphorbio - Tithymalus spinosus, caule rotundo & angu-

gulo fo, nerii foliis latioribus & angustioribus. *Burm. zeyl. 95.*

Tithymalus aizoides arborefcens spinofus, caudice angulari, nerii folio. *Comm. præl. l. 22. t. 6. f. 6.*

Tithymalus indicus spinofus, nerii folio. *Comm. hort. l. p. 25. t. 13.*

Tithymalus Zeilanicus spinofus arborefcens. *Herm. prodr. 381.*

Ela-Calli. *Rheed. hort. mal. 2. p. 83. t. 43.*

Habitat in India orientali.

DESCR. Caulis teretiufculus, quinquetariam tuberculis prominulis angulatus, angulis his spiraliter lente adfcendentibus; in summo caulis Folia lanceolata, ad quorum basin duplex aculeus, foliis deciduis perfiftunt aculei cum cicatrice & callo prominulo.

9. EUPHORBIA inermis imbricata tuberculis foliolo lineari inftuctis. *Hort. cliff. 197. upfal. 139. Roif. lugdb. 195.*

Planta lactaria africana. *Comm. hort. l. p. 33. t. 17.*

Tithymalus aizoides africanus, fimplici squamato caule, Chamenerii folio. *Comm. præl. 23. 57. t. 7.*

β. Euphorbium anacanthum squamofum, lobis florum tridentatis. *Isn. act. 1720. p. 502. t. 11.*

γ. Euphorbium erectum aphyllum, ramis rotundis, tuberculis tetragonis. *Burm. afr. 16. t. 7. f. 2.*

δ. Euphorbium humile procumbens, ramis fimplicibus copiofis, caule craffiffimo, tuberofo. *Burm. afr. 20. t. 10. f. 1.*

ε. Euphorbium procumbens, ramis plurimis fimplicibus squamofis, foliis deciduis, *Burm. afr. 17. t. 8.*

ζ. Euphorbium procumbens, ramis geminatis, caule glabro oblongo cinereo. *Burm. afr. 18. t. 9. f. 1.*
Habitat in Æthiopia.

Obs. Distinctissima planta, petalis palmatis.

10. EUPHORBIA inermis nuda fruticosa filiformis volubilis, cicatricibus oppositis. *Hort. cliff. 197.*
Hort. upsal. 140. Roy. lugdabat 195.

Tithymalus indicus vimineus, penitus aphyllus. *Bærb. lugdabat. 1. p. 259.*

Tithymalus ramosissimus non frutescens pene aphyllus. *Comm. præl. 23.*

Fel - fel - taval. Alp. ægypt. 190. t. 190. Dill. elth. 368.

Habitat in Africæ maritimis.

DESCR. *Planta caule trium ad sex pedum altitudine, ejusdem ubique crassitie, pennæ nempe anserinæ, viridis, ramis raris, longissimis, qui, uti caulis, funis instar, contorquentur simul. Folia nulla, sed cicatriculæ, hinc inde oppositæ, (non alternæ) quasi folia decidissent. Caulis articulatus non est. Frutex.*

11. EUPHORBIA inermis subnuda fruticosa filiformis erecta, ramis patulis determinate confertis. *Hort. cliff. 197. Hort. upsal. 139. Fl. zeil. 196.*
Roy. lugdabat. 195.

Tithymalus Indicus frutescens. *Comm. hort. I. p. 27. t. 14.*

Tithymalus arborescens, caule aphyllus. *Pluk. phyt. 319. f. 9.*

Tithymalus ramosissimus frutescens pene aphyllus. *Herm. prodr. 341. Burm. zeyl. 223.*

Tithymalus orientalis articulatus, junceus aphyllus.

Herm. zeil. 56. Burm. zeil. 223.

Tiru - calli Rheed. mal. 8. t. 1. 44.

Muwakirya. Herm. zeil. 63.

Habitat in India orientali.

DESCR. *Hæc caule erecto persistit, rami ad certas & determinata spatia conferti, patentes, teretes, nudi, acuti. Folia in apice ramorum lanceolato-lineararia, fere petiolata, quibus ut & caule erecto, & magis ramoso, a 4. differt.*

112. *EUPHORBIA inermis fruticosa, foliis distiche alternis ovatis. Hort. cliff. 198. Roy. lugdb. 195.*

Tithymalus curassavicus myrtifolius, flore papilionaceo coccineo parvo. Comm. hort. 1. p. 31. t. 16. Pluk. alm. 369. t. 230. f. 2.

Tithymalus curassavicus Myrtifolius, flore coccineo, mellifluo. Herm. par. 234. t. 234.

β. Tithymaloides lauro-cerasifolio, non ferrato. Dill. elth. 383. t. 288. f. 372.

Habitat in Curassao, at β forte in India orientali.

Obs. *Has α & β species non diversas esse probant flores in hac specie singulares, horizontales, superne gibbi: partes in hisce floribus propriæ, & facies propria, Differt β ab α, solo margine folii contractiore, nec hæc varietas magis mira in remotissimo loco, quam quod crines in afro quodam homine lanæ instar contracti.*

113. *EUPHORBIA inermis, foliis ferratis petiolatis diffornibus ovatis lanceolatis panduriformibus.*

Tithymalus curassavicus, salicis & atriplicis foliis hirsutis, caulibus subrubentibus. Moris. hist. 34.

Habitat in America calidiori.

14. EUPHORBIA inermis herbacea ramosa, foliis subcordatis integerrimis petiolo brevioribus, floribus solitariis.

Euphorbia inermis, foliis obtusis subcordatis integerrimis petiolatis, caule ramoso erecto. Roy. lugdb. 199.

Habitat in Campechia Houston.

15. EUPHORBIA foliis oppositis subcordatis petiolatis emarginatis integerrimis, petiolis folio longioribus, caule fruticoso. Hort. cliff. 198. Roy. lugdb. 196.

Tithymalus curassavicus, folio cotini, triphyllus, petalis florum ferratis. Pluk. alm. 369. t. 230. f. 3.

Tithymalus arboreus curassavicus, cotini folio. Seb. thes. I. p. 75. t. 46. f. 4.

Tithymalus arboreus, americanus, cotini folio. Comm. hist. I. p. 29. t. 15.

Habitat in Curassao.

Obs. Variat foliis oppositis binis & ternis.

II. DICHOTOMÆ, involucre tantum diphylo.

16. EUPHORBIA dichotoma foliis ferratis axillaribus ovali oblongis, corymbis terminalibus, ramis divaricatis.

Euphorbia inermis, foliis ovalibus oppositis ferratis uniformibus, ramis alternis, caule teretiufculo. Hort. cliff. 198. Hort. ups. 143. Roij. lugdbat. 196. Gron. virg. 58.

Tithymalus erectus, floribus rarioribus, foliis oblongis glabris integris. Burm. zeil. 224. t. 105. f. 2.

Tithymalus indicus, annuus, dulcis, floribus albis, cauliculis viridantibus. Pluk. alm. 379. t. 118. f. 2.

Tithymalus africanus, C. *Peplis major* Brasiliensibus.
Comm. præl. 60 t. 10.

β. *Tithymalus erectus acris*, parietariæ foliis glabris, floribus ad caulium nodos conglomeratis.
Sloan. jam. 82. hist. 1. p. 197. t. 126.

Tithymalus americanus erectus, floribus in capitulum, longo pedunculo congestis. *Tournef. inst. 88.*

Tithymalus erectus ferratus, floribus in capitulum, longo pedunculo insidentibus congestis. *Plum. spec. 2.*

Habitat in Jamaica, Mexico, etiam in India Orientali.

DESCR. *Facies Hyperici. Folia altero latere serrata, altero integra. Flores tetrapetali, integri, albi, tenues, petala nivea. variat floribus ex alis fere solitariis α) & congestis ac capitatis β); eadem tamen videtur species.*

17. *EUPHORBIA dichotoma*, foliis ferrulatis ovatis, obtusis trinervis, panicula terminali, caulibus simplicibus.

Habitat in insula Adscensionis.

OBS. *Planta refert origanum ut primo intuitu nequeat non pro ea agnosci.*

DESCR. *Caulis simplex, spithameus teres, articulatus. Folia rotundo-ovata, trinervia, sessilia glabra, ferrulata, pagine superioris latere exteriori purpurascens. Rami nulli. Panicula ut in Origano terminat caulem.*

18. *EUPHORBIA dichotoma*, foliis ferrulatis ovatis, acuminatis, pedunculis capitatis axillaribus, caulibus pilosis.

Euphorbia inermis, foliis oppositis ovalibus ferratis uniformibus, pedunculis capitatis, axillaribus. *Fl. zeyl.* 197.

Tithymalus botryoides zeilanicus, cauliculis villosis. *Burm. zeyl.* 223. t. 104.

Tithymalus botryoides zeilanicus hirsutus. *Herm. zeyl.* 31.

Tithymalus botryoides major zeilanicus procumbens, foliis & cauliculis villosis. *Pluk. alm.* 273. *Raj. suppl.* 428.

Tithymalus indicus, annuus, dulcis, botryoides, geniculatus, *Herm. prodr.* 382.

Habitat in India.

DESCR. *Caulis herbaceus, pilosus, Folia ovata, lanceolata, serrata, opposita, sessilia, acuta, ex singula ala alterna. Pedunculus flores, in globum collectos ferens.*

19. EUPHORBIA dichotoma, foliis ferratis ovali-oblongis, pedunculis bicapitatis axillaribus, caule erecto.

Tithymalus botryoides erectus, florum capitulis conjugatis & longiori pedunculo infidentibus. *Burm. afr.* 224. t. 105. f. 1.

Habitat in India.

20 EUPHORBIA dichotoma, foliis ferratis ovali-oblongis, capitulis axillaribus glomeratis subsessilibus, caulibus procumbentibus.

Euphorbia inermis, foliis oppositis oblique cordatis, obtusis ferratis, pedunculis multifloris. *Fl. zeyl.* 198.

Tithymalus indicus annuus dulcis, floribus albis, caulibus viridantibus & rubentibus. *Pluk. alm.* 372. t. 113. f. 2. β.

β. *Tithymalus humilis ramosissimus hirsutus, foliis thymi, ferratis. Burm. zeil. 225. t. 105. f. 3.*

Pta-waka. Herm. zeil. 13.

Habitat in India utraque.

OBS. *Planta nostra glabra, est Chamaesyces omnino facie.*

21. *EUPHORBIA dichotoma, foliis integerrimis semicordatis, floribus solitariis axillaribus, caulibus procumbentibus.*

Peplis maritima, folio obtuso. Baub. pin. 293.

Peplis. Clus. hist. 2. p. 187. Cam. epit. 970.

Habitat in Narboniæ & Hispaniæ maritimis.

22. *EUPHORBIA dichotoma, foliis crenulatis subrotundis, floribus solitariis axillaribus, caulibus procumbentibus.*

Euphorbia inermis, foliis oppositis oblique-cordatis, ferrulatis uniformibus, ramis alternis, floribus solitariis. Hort. cliff. 198. Roy. lugdbat. 196.

Chamaesyce. Baub. pin. 293. Clus. hist. 2. p. 187.

Tithymalus minimus ruber rotundifolius procumbens. Moris. hist. 3. p. 340. t. 2. f. 19.

Tithymalus exiguus glaber, numulariæ folio. Tourn. inst. 87.

Tithymalus exiguus procumbens, Chamaesyce dictus. Boerb. lugdbat. 1. p. 258.

Tithymalus exiguus villosus, numulariæ folio. Tourn. inst. 87. Boerb. lugdb. 258.

Tithymalus, sive Chamaesyce villosa major, cauliculis viridibus. Moris. hist. 3. p. 340.

Tithymalus humilis ramosissimus hirsutus, foliis Thymi ferratis. Burm. zeil. 225. p. 105. f. 3.

Habitat in Sicilia, Narbonensi.

DESCR. *Corymbus in hac nullus, folia uniformia, equalia. Flores ex alis, albi, tetrapetali, caules alternatim ramosissimi. Folia in Europea magis orbiculata, in Americana oblonga, & sepius macula fusca, in medio nota. Caulis quam arctissime terræ adpressus.*

23. *EUPHORBIA foliis oppositis integerrimis lanceolatis obtusis, floribus solitariis axillaribus, caulibus procumbentibus.*

Euphorbia procumbens, ramulis alternis, foliis lanceolato-linearibus, floribus solitariis.

Habitat in Canada & Virginia.

OBS. *Statura & facies 22 at folia ad basin ab altero latere lobo prominent, sed lanceolata, equalia, obtusa; Caules procumbentes, dichotomi divaricant.*

24. *EUPHORBIA dichotoma, foliis integerrimis, lanceolatis, pedunculis axillaribus unifloris folia æquantibus, caule erecto.*

Tithymalus, flore exiguo viridi, apicibus flavis, antequam folia emittit florens. Gron. virg. 58.

Habitat, in Virginia, Canada.

DESCR. *Radix repens. Caules spithamæi, erecti, dichotomi, folia opposita, (uno alterove ex infimis alterno), lanceolata, levia, integerrima, longitudine internodiorum, pedunculi axillares, so-*

litarii, uniflori, longitudine foliorum dum florent, dein fructiferi, duplo longiores. Calyx crassus.

25. EUPHORBIA dichotoma, foliis integerrimis ovalibus retusis, pedunculis axillaribus unifloris folia æquantibus, caule erecto.

Tithymalus perennis, portulacæ folio: *Few. peruv. 707. t. 2.*

Habitat in Philadelphia.

DESCR. Caulis erectus spithameus vel pedalis. Folia ovalia integerrima, glabra, magnitudine portulacæ, vel majora, (infimo, uno alterove alterno), obtusa, obsolete emarginata. Caulis dichotomus, primaria divisione interdum trifida triphylla, pedunculus longus, ut in precedenti.

III. UMBELLA PRIMARIA TRIFIDA.

26. EUPHORBIA umbella trifida involucro tetraphyllo, caule nudo, foliis oblongis emarginatis.

Euphorbia inermis, foliis oblongis obtusis emarginatis. *Roy. lugdb. 199.*

Tithymalus humilis, flore lapathi. *Buxb. cent. 2. p. 27. t. 23.*

Tithymalus tuberosus acaulos, foliis oblongis cucullatis & planis. *Burm. afr. 9. t. 4.*

Tithymalus africanus humilis, foliis latioribus oblongis, tuberosa radice. *Raj. supplex 933.*

Habitat in Ægypto & Æthiopia.

27. EUPHORBIA umbella trifida dichotoma, involucris ovatis, foliis integerrimis ovatis petiolatis.

Euphorbia foliis obverse ovatis integerrimis, umbella universali trifida triphylla, partialibus dichotomis diphyllis. *Hort. cliff.* 199. *Fl. suec.* 437. *Roy. lugdb.* 197.

Peplis s. Esula rotunda. *Baub. pin.* 292.

Peplus. *Fuchj. hist.* 603. *Dod. pempt.* 375.

Esula rotundifolia non crenata. *Rup. jen.* 219.

Tithymalus parvus annuus, foliis subrotundis non crenatis, Peplis dictus, *Raj. syn.* 3. p. 256.

Habitat in Europæ cultis oleraceis passim.

DESCR. Radix annua. Folia caulina obverse-ovata, integerrima, alterna. Involucra omnia ovata. Flores omnes hermaphroditi, petalis bicornibus, capsulis glabris.

28. EUPHORBIA, umbella trifida dichothoma, involucellis, cordato-falcatis acutis, foliis lanceolatis obtusiusculis.

Habitat in Europa australiori.

OBS. Folia lanceolata, obtusiuscula cum mucrone. Umbella universalis trifida, rarius quadrifida. Involucra partialia ovato-cordata, acuta, alterna, latere falcata, qua nota, ab omnibus differt. Radii umbellæ bifidi, dein simplices. E lateribus caulis ramuli cum umbellulis.

29. EUPHORBIA, umbella trifida dichotoma, involucellis lanceolatis, foliis linearibus.

Euphorbia inermis, foliis alternis linearibus acutis, umbella universali trifida triphylla, partialibus dichotomis diphyllis. *Hort. cliff.* 199. *ups.* 143 *Roy. lugdb.* 197.

Tithymalus, f. Esula exigua. *Baub. pin. 291. Moris. hist. 3. p. 339. f. 10. t. 2. f. 5.*

Esula minima tragi. *Dalech. hist. 1656.*

β Tithymalus, f. Esula exigua, foliis obtusis. *Baub. pin. 291. prodr. 132.*

γ Tithymalus exiguus saxatilis. *Baub. pin. 291. prodr. 132. Magn. monsp. 259. t. 158.*

Habitat in Gallia, Helvetia, inter segetes. α) *Montspeli in saxosis.* β) *Paduæ.* γ) *Massilia.*

OBS. Varietas γ), minima. β) singularis foliis apice truncatis, cum acumine. Omnes carent ramis lateralibus. Flores tetrapetali bicornes, foliola umbellæ & umbellularum reliquis non latiora. Fructus glaber.

IV. UMBELLA PRIMARIA QUADRIFIDA.

30. EUPHORBIA umbella quadrifida dichotoma, foliis oppositis integerrimis.

Euphorbia inermis, foliis oppositis lanceolatis integerrimis, umbella universali quadrifida tetraphylla, ulterioribus dichotomis. *Hort. ups. 140. Mat. med. 256.*

Euphorbia inermis, foliis oppositis lanceolatis, umbella universali quadrifida tetraphylla, partialibus dichotomis diphyllis. *Hort. cliff. 198. Roy Lugdb. 196.*

Lathyris major. *Baub. pin. 293.*

Lathyris. *Cam. epit. 968. Fuchs. hist. 454.*

Esula major. *Rupp. jen. 219.*

Cataputia minor. *Lob. icon. 362.*

Habitat ad agrorum margines in Italia, Gallia

OBS.

CBS. Rami laterales floriferi. Folia lanceolata. Involucrum universale tetraphyllum, partialia diphylla, cordato-lanceolata. Umbella radiis quatuor, bifidis, ultimo simplicibus. Flores omnes hermaphroditi. Petala quatuor, biloba, obtusa. Capsula glabra.

V. UMBELLA PRIMARIA QUINQUEFIDA
PENTAPHYLLA.

31. EUPHORBIA umbella quinquefida bifida, involu-
cellis obverse cordatis.

Tithymalus tuberosa, pyriformi radice. *Bauh. pin. 292.*

Tithymalus tuberosa radice. *Clus. hist. 2. p. 190.*

Habitat in Creta.

- 32 EUPHORBIA, umbella quinquefida trifida dichotoma, involu-
cellis subovatis, foliis lanceolatis, serrulatis, capsulis verrucosis.

Euphorbia inermis, foliis linearibus, umbella uni-
versali trifida triphylla, partialibus trifidis, propri-
is dichotomis diphyllis, foliolis subrotundis. *Gvett.
stamp. 269.*

Tithymalus foliis subhirsutis ad caulem ellipticis, sub
floribus binis subrotundis. *Hall. helv. 191.*

Habitat in Gallia, Helvetia.

33. EUPHORBIA, umbella subquinquefida simplici, in-
volu- cellis ovatis: primariis triphyllis, foliis oblon-
gis integerrimis, caule fruticoso.

Euphorbia inermis fruticosa, foliis lanceolatis oppo-
sitis integerrimis, floribus solitariis terminalibus,
involucris triphyllis. *Hort. cliff. 198. Roy. lugdb.
196.*

Tithymalus maritimus spinosus. *Bauh. pin. 291.*

Tithymalus ragufinus, flore luteo pentapetalo. *Herzm. lugdb. 600. Bærb. lugdb. 1. p. 257.*

Habitat in Creta.

DESCR. *Caules frutescentes, inferne spinosi, ramulis adtenuatis aridis. Folia lanceolato-ovalia, sparsa, integerrima. Umbella universalis quinquefida, pentaphylla (sepe trifida, & quadrifida, triphylla, & tetraphylla) involucella primaria triphylla, reliqua diphylla, sed radii indivisi.*

34. *EUPHORBIA umbella quinquefida dichotoma, involucellis, semiorbiculatis, foliis lineari-lanceolatis, ramis floriferis.*

Euphorbia inermis, foliis alternis linearibus acutis, partialibus umbellulæ ovato-rhombeis, petalis bicornibus. Hort. ups. 142.

Tithymalus annuus, lunato flore, linariæ folio longiore. Moris. hist. 3. p. 339.

Tithymalus maritimo adfinis, linariæ folio. Baub. pin. 291.

Tithymalus leptophyllos. Dalech. hist. 1645.

Tithymalus annuus erectus, folio oblongo acuminato. Tourn. inst. 87.

Tithymalus segetum longifolius. Raj. syn. 3. p. 312.

Peplis annua, foliis acutis, flore muscoso. Bocc. sic. 24. t. 13. f. I.

Habitat inter segetes, Galliæ, Italiæ, Mauritanæ.

DESCR. *Caulis pedalis, inferne rubens. Rami breves versus radicem caulis, Folia lini, linearia, acuta, alterna, pallide viridia. Involucra vero ovata, lateribus angulata, hinc quasi quadrangularia*

laria. Petala lutea, bicornia. Ex alis superioribus foliorum multi alternatim pedunculi umbellulas partiales ferentes.

35. EUPHORBIA umbella quinquefida bifida, involu-
cellis subovatis, foliis lanceolatis obtusis integer-
rimis.

Tithymalus montanus, non acris. Bauh. pin. 292.

*Pityusa s. Esula minor altera, floribus rubris. Lob.
ic. 358.*

Habitat in Gallia, Italia, Germania.

*Obs. Dignoscitur exsiccata facillime, quod sicca ni-
gricat, uti Orobus.*

36. EUPHORBIA quinquefida bifida, involucellis o-
vatis mucronatis, foliis lanceolatis: Infimis invo-
lutis, retrorsum imbricatis.

Tithymalus foliis brevibus, aculeatis. Bauh. pin. 292.

Pithyusa. Daleck. hist. 1652.

Habitat in arenosis Belgii, Italiae.

37. EUPHORBIA umbella quinquefida dichotoma, in-
volucellis ovato-lanceolatis mucronatis, foliis in-
ferioribus capillaceis.

*Tithymalus foliis inferioribus capillareis, superiori-
bus myrto similibus. Moris. hist. 3 p. 338.*

Tithymalus Cyparissias. Alp. exot. 65. t. 66.

Habitat in Creta.

38. EUPHORBIA umbella quinquefida dichotoma, in-
volucellis foliisque oblongis obtusis, petalis mem-
branaceis,



Euphorbia inermis, foliis lanceolatis obtusis alternis, ramis floriferis dichotomis, petalis maximis subrotundis. *Gron. virg. 58.*

Habitat in Virginia, Canada.

DESCR. *Statura erecta, umbella universalis quinquefida, partialis primaria trifida, posteriores dichotome. Involucrum universale quinque ad sex foliolis, oblongis obtusis; Partialis triphylla, reliquæ diphyllæ foliolis similibus, Radii umbellæ primariæ in medio foliolo, & ramo dichotomo minori instructi. Folia caulis lanceolata, obtusissima. Petala nivea, explorata, quina, nec peltiformia, sed tenuissimi Lini.*

39. EUPHORBIA umbella quinquefida trifida dichotoma, involucellis ovatis, foliis lanceolatis, capsulis lunatis.

Euphorbia inermis fruticosa, foliis lanceolatis, involucro universali quinquefido, partialibus trifidis, reliquis dichotomis. *Hort. ups. 142. Roy. lugdb. 198.*

Tithymalus arboreus, caule corallino, folio Hyperici, pericarpio barbato. *Bærb. lugdb. 1. p. 256.*

Habitat in Sicilia, Mauritania, Oriente.

DESCR. *Caules plures, simplicissimi, annui, teretes, ulnares, fere juncei, erecti. Folia lato-lanceolata, obtusiuscula, sessilia, alterna, integerrima, subtus villosa, margine sæpe rufescentia. Umbella universalis quinquefida, partialis trifida, demum dichotoma. Involucrum universale pentaphyllum, partiale triphyllum, demum diphylla, foliolis o-*

ovato-oblongis; in ulterioribus ovatis, omnibus pilosiusculis. Corolla petalis quatuor integris. Capsulæ globose, vix sulcate, testæ lana alba, rara, longa.

40. EUPHORBIA umbella quinquefida, quadrifida, dichotoma, involucellis subrotundis ovatis, foliis lanceolatis.

Euphorbia inermis, foliis lanceolatis, involucrio universalis quinquefido lanceolato, partiali tetraphyllo subrotundo, propriis diphyllis. *Roy. lugdb. 198.*

Tithymalus orientalis, salicis folio, caule purpureo, flore magno. *Tourn. cor. 2.*

Habitat in Oriente,

41. EUPHORBIA, umbella quinquefida trifida dichotoma, involucellis primariis tetraphyllis, foliis sessilibus ferrulatis.

Euphorbia inermis, foliis alternis lanceolatis amplexicaulibus subserratis, umbella universalis quinquefida pentaphylla, partialibus bifidis. *Hort. ups. 141.*

Euphorbia inermis, foliis lanceolatis, umbella universalis partialiumque prima quinquefida, secunda trifida, reliquis bifidis. *Roy. lugdb. 198.*

Tithymalus arvensis latifolius Germanicus. *Bauh. pin. 291.*

Tithymalus platyphyllos. *Fuchs. hist. 813.*

Habitat in agris Galliae, Angliae, Germaniae.

Obs. Folia subamplexicaulia, patentissima lanceolata, involucrio ovato, involucellis cordatis. Flores omnes hermaphroditi, tetrapetali. Fructus hispida.

42. EUPHORBIA, umbella quinquefida, dichotoma, involu-
 cellis ovatis. foliis cuneiformibus, ferratis.
 Euphorbia, foliis crenatis, umbella universali quin-
 quefida, pentaphylla, partialibus trifidis, propriis
 triphyllis. *Hort. cliff. 198. Fl. Juec. 436. Roy. lugdb.*
197.

Euphorbia inermis, foliis subrotundis crenatis. *Fl.*
Lapp. 220.

Tithymalus helioscopius. *Fuchs. hist. 811. Baub. pin.*
291. Cam. epit. 963. Till. ic. 65.

Efula solifera. *Rupp. jen. 219.*
Habitat in Europæ cultis.

OBS. Radix annua. Folia cuneiformia, serrata, al-
 terna. Flores omnes hermaphroditi, tetrapetali,
 petalis integris. Fructus glaber. Umbella univer-
 salis quinquefida, pentaphylla, partialis trifidæ tri-
 phyllæ.

43. EUPHORBIA, umbella quinquefida dichotoma, in-
 volu- cellis diphyllis reniformibus, foliis amplexi-
 caulibus cordatis ferratis.

Euphorbia inermis, foliis denticulatis: caulinis lan-
 ceolatis, umbellularum cordatis. *Hort. cliff. 200.*
Roy. lugdb. 197.

Tithymalus characias, folio ferrato. *Baub. pin. 290.*

Tithymalus myrtites valentinus. *Clus. hist. 2. p. 189.*

Tithymalus characias 5. *Dodon. pempt. 369.*

Habitat in Narbona, Hispania, regno Valentino.

OBS. Flores di- & tripetali, primores masculi, reli-
 qui autem hermaphroditi. Folia lanceolata, serru-
 lata. Umbella universalis quinquefida, pentaphyl-
 la, Partiales trifidæ, triphyllæ.

VI. UMBELLA PRIMARIA MULTIFIDA
POLYPHYLLA.

44. EUPHORBIA umbella multifida dichotoma, involu-
cellis perfoliatis emarginatis, foliis integerrimis, caule frutescente.

Euphorbia inermis, foliis lanceolatis, umbella universalis multifida, partialibus dichotomis, involu-
cris semibifidis perfoliatis. *Hort. cliff.* 199. *Hort. ups.* 142.

Tithymalus characias rubens peregrinus. *Baub. pin.* 290.

Tithymalus characias I. *Clus. hist.* 2. p. 188.

Habitat in Helvetia, Anglia, Germania, Gallia Narbonensi.

DESCR. Caules crassi, rubentes, exasperati cicatricibus, a casu foliorum in infima parte. Flores pentapetali, petalis integris, lunatis, in prima ramificatione masculi purpurei, aequales, in reliquis hermaphroditi, atri, humidi, inaequales. Involucra monophylla, perfoliata, emarginata.

45. EUPHORBIA umbella multifida dichotoma, involu-
cellis perfoliatis subcordatis, foliis lanceolatis integerrimis.

Tithymalus sylvaticus, lunato flore. *Baub. pin.* 290.
Moris. hist. 3. p. 335.

Tithymalus lunato flore. *Col. eph.* 2. p. 57. t. 57.

Habitat in Gallia, Hispania, Germania, Italia.

46. EUPHORBIA; umbella multifida dichotoma, involu-
cellis perfoliatis, orbiculatis, foliis obtusis.

Tithymalus characias amygdaloides. *Baub. pin.* 290.

Habitat in Gallia, Germania.

OBS. *Differt hæc a 45. involucellis orbiculatis, quæ in 45. magis apice producta sunt.*

47. EUPHORBIA umbella multifida trifida dichotoma, involucellis ovatis, foliis lanceolatis, ramis sterilibus.

Euphorbia foliis lanceolatis, umbella universali multifida polyphylla, partialibus trifidis triphyllis, propriis dichotomis. *Hort. cliff. 200. Fl. sv. 438. Mat. med. 255. Roy. lugdb. 198.*

Tithymalus palustris fruticosus. *Baub. pin. 292.*

Efula major. *Dalech. hist. 1653.*

Efula palustris. *Rupp. jen. 219.*

Efula major. *Dal. Pharm. 231.*

Tithymalus maximus Oelandicus. *Rudbeck. hort. 109.*

Habitat in Germania, Belgio. etiam in pratis paludosis Oelandiæ, Gothlandiæ, Scaniæ.

DESCR. Radix perennis; caulis annuus; folia lanceolata alterna. Involucra & involucella ovata. Umbella universalis multifida polyphylla; partiales trifida, triphyllæ; reliquæ dichotomæ diphyllæ. Fructus verrucosus. Flores primores masculi pentapetali, secundarii vero hermaphroditi tetrapetali. Petala integra.

48. EUPHORBIA umbella multifida dichotoma, involucellis subcordatis, ramis sterilibus, foliis uniformibus.

Euphorbia inermis, foliis lanceolato-linearibus; involucri universalis foliolis quinque ovato-acutis, partialis, semiorbiculatis. *Hort. ups. 141.*

Tithy

Tithymalus maritimo affinis. Baub. pin. 291.

Tithymalus amygdaloides angustifolius. Tabern. hist. 1. p. 988.

Esula minor. Dalech. hist. 1653. Dod. pempt. 374.

Alypum. Cam. epit. 985.

Habitat in Germania, Belgio.

Obs. Hec planta refert statura sequentem, & folia gerit ejus, caulinis simillima, non vero capillaria; radix repens admodum est.

49. **EUPHORBIA** umbella multifida dichotoma, involucellis subcordatis, ramis sterilibus foliis fetaceis caulinis lanceolatis.

Euphorbia inermis, foliis confertis linearibus, umbella universali multifida, partialibus dichotomis, foliolis subrotundis. Hort. cliff. 199. Hort. ups. 142. Roy. lugdb. 197.

Tithymalus cyparissias. Baub. pin. 291. Dalech. hist. 1644.

Tithymalus cupressinus. Tabern. hist. 990.

Tithymalus foliis pini. Baub. pin. 292.

Habitat in Misnia, Bohemia, Helvetia.

Obs. Folia inferiora caulis in hac per gradus latiora sunt, caulis dein plurimos ramos e lateribus emittit.

50. **EUPHORBIA** umbella sexifida dichotoma, involucellis ovalibus, foliis oblongis integerrimis, ramis nullis capsulis verrucosis.

Tithymalus latifolius hispanicus. Baub. pin. 291. Tabern. hist. 987.

Tithymalus Hibernicus vasculis muricatis erectis. Dill. eth. 387. t. 290. f. 374.

Ha-



Habitat in Hibernia, Siberia, Austria, Pyrenæis. T

Obs. Fructus maxime verrucosus variat foliis hirsutis, glabris.

51. EUPHORBIA umbella multifida dichotoma, involu-
cellis subcordatis, primariis triphyllis, caule ar-
borescente.

Tithymalus myrtifolius arboreus. *Baub. pin. 290.*

Tithymalus dendroides. *Cam. epit. 965.*

Habitat in Italia, Creta, Insulis Stæchadam.

Obs. Folia sparsa, angustiora, lanceolata, involu-
crum universale polyphyllum, partialia prima sæpius tri-
phylla, reliqua diphylla, obtuse cordata. Umbellule
laterales caulis nullæ. Capsula glabra.

52. EUPHORBIA umbella suboctifida bifida, involu-
cellis subcordatis, foliis spathulatis patentibus car-
nosis margine scabris.

Euphorbia inermis, foliis confertis: superioribus re-
flexis latioribus lanceolatis, umbella universali tri-
fida, partialibus bifidis. *Hort. cliff. 199. Hort. ups.
141.*

Tithymalus myrsinites. *Tabern. hist. 989.*

Tithymalus myrsinites latifolius. *Baub. pin. 290.*

Tithymalus myrsinites legitimus. *Clus. hist. 2. p. 189.*

β Tithymalus myrsinites angustifolius. *Baub. pin. 290.*

Habitat in Calabria.

DESCR. Planta glauca. Folia crassiora, superiora re-
flexa, concava. Petala quatuor, flava, bicornia.
Flores primi masculi, reliqui autem hermaphroditi
sunt. Calyx ferratus

53. EUPHORBIA umbella fexfida bifida, involucellis cordato-reniformibus, foliis sursum imbricatis.

Tithymalus maritimus. *Bauh. pin. 291. Dod. pempt. 370. f. 12.*

Tithymalus paralius. *Cam. epit. 962.*
Habitat in Europæ avena maritima.

V I R E S

Est succus harum plantarum adeo corrosivus, ut si corpori superveniat, exulceret & corrodat, unde fit, ut ad internos curandos morbos, non nisi raro admodum, eo utantur Medici. Et Arabs Mesues, Medicus suæ ætatis sat inclytus, ab ejus usu, cum internis mederetur morbis, plane abhorruit. Africanis, sagittas Euphorbio ungere, ut hostibus lethalia infligerent vulnera, olim morem fuisse, tradunt auctores. Hortulanus Horti Academici Lugduno-Batavi cultro forte amputabat caudicem Euphorbiæ, quem cum postridie in inferendo esset occupatus, ore tenebat, os collumque ejus adeo fuere inflammata, ut si Medicos consulendi occasio illi fuisset denegata, de ejus vita actum fuisset. *Clavi pedum*, si hujus succu inungantur, toti quanti evanescent. Si in *Odontalgia* pellenda eundem adhibet Medicus, vel immittendo cavitati dentis guttulam 1. ad 2., efficit, ut, nervo destructo, dens dissolvatur; vel inungendo pone aurem quidquam ex eodem, vesica inde exurgit, per quam humores acres secernuntur. hinc ergo patet, illum, loco *Cantharidum*, inter *vesicatoria* haud male esse referendum. Tithymali *Lac*, vaccino mixtum, ad roseum acquirendum colorem, faciei illinunt formositate studiose, nativa non contentæ, puellæ; quod si vero hujus linimenti fiat nimia repetitio, majorque sumatur dosis, ita

ita nocet, ut tota facies exulceretur & excorietur. Sanandis *ulceribus Cacoëthicis* & fordidis, succus hicce infervit, carnes enim spongiosas corrodit. Inprimis vero, quantæ sit utilitatis ac virtutis, dum adhibetur ad eorum ulcera purificanda, illi, quorum interest, optime norunt.

Pulvere si punctura nervorum, Ictusque serpentum adspargantur, dolor inde compefcitur.

In *Carie Ossium* est hic heroicum quoddam Medicamen, cujus ergo usum Fallopius tanti æstimavit, ut pro infallibili certissimoque reputarit. Pulveri sternutatorio immiscetur interdum, quantitas autem dosis exigua esse debet, si dolor urentissimus cum lachrymis, Hæmorrhagiis, immo Inflammatione Cerebri evitabitur.

Gummi Euphorbii, quod ab Africa ad nos transportatum in Pharmacopæis adservatur, hoc tempore rarissime ob suam acrimoniam interne usurpatur. Quam ob rem Pharmacopolæ rusticis (si consentiunt) imponunt, ut id contendant, simulque iis consulunt, ut faciem sub hac operatione avertant, ne transgressus pulveris os & nares intret.

Euphorbia & præsertim Cataputia usi sunt veteres inter sua purgantia, sed quum ab ejus usu periisset Bot. Prof. Gvilandinus, in posterum omnino cessavit internus illius usus. Inter recentiores Listerus sæpius hoc adhibuit in Hydrope, ubi eundem præbet effectum, ac interna quædam Paracenthesis, quo quosdam a malo liberavit, sed plerique inde curati, recidivam incurrebant, & peribant. Cessavit itaque internus usus hujus Medicamenti apud hodiernos Medicos, nec immerito.

Gummi Euphorbii correctum, maceratione per diem in oleo amygdal. facta, & coctione in malo citri, ordinare consueverunt veteres; illa vero correctio sat validis non nititur principiis, nam, si nimia acidi accedat
quan-

quantitas, vis omnis plane tollitur, quod si vero minus corrigatur, deleterium persistit, quo evenit, ut quando Veteres illud tanquam fortissimum quoddam præscriberent hydragogum, caussarit hypercatharsin cum sudore frigido & deliquiis. Plura qui velit, consulat Geoffroy, Boerhave in Historia Plantarum, Hallerum de Plantis helveticis, Pharmacopœam Vurtembergensem, aliosque, meum enim, ut rite distingverem species, præcipuum hoc in opusculo fuit institutum.

SOLI DEO GLORIA.

Domino AUCTORI Præstantissimo.

In bonis lætisque lætari, ut jucundum, ita fas quoque omnino est & conveniens. Tribus abhinc lustris, & tribus etjam additis annis, dies mensis Maji, sextus erat, quo optima AURORA optima lætaque adferebat. Scilicet, hoc ipso die, de Te, Amice Dilectissime, jam nato, lætabatur, & quidem non injuria, uterque Tuus Parens. Hanc Parentum Tuorum, quos non nisi omnis honoris ergo nomino, lætitiã, inde susceptã, quam mirifice auctum postmodum iveris, conversatio Tecum mea, per octo, & amplius annos, ignorare me prohibet. Hanc quoque, hoc die, quam magnopere augeas, egregia Tua Dissertatio, vel me tacente, luculenter ostendit. Hinc non est, quod mireris, Amice perdilecte, me, ex tanto lætitiæ cumulo, etjam aliquid facere meum; & quidem ita, ut lætabundus non minus, quam gratulabundus, Tibi & clarissimæ Tuæ Familiæ, tot bona, tot læta, quot hoc die, hocceque anni tempore, superbit terra floribus, ex sincero adprecor animo.

HARALDUS PALM.

Egregiæ hujus Dissertationis AUCTORI,
Amico Honoratissimo.

Qui novit, quantum jucunditatis atque utilitatis
afferat jucundissimum fere omnium Botanicæ
studium, ille neque inficias ire poterit, illum maxi-
mo jure esse laudandum, qui diligentius in eodem
excolendo desudavit. Ne igitur mireris, Amice
in paucis dilecte, me intimi pectoris igni tempe-
rare non posse, quominus tam opportunam nactus
occasionem in gratulationes erumpat. Dum itaque
hac VI. Maji, natali Tibi die, omnium desiderio,
non hodie neque nudius tertius de Te concepto,
satisfacis, præclaros Tibi progressus ex animo
gratulor, & quot flores, quot vernum tempus pro-
ducit plantas, & quot in Euphorbiæ Genere Spe-
cies sunt & Varietates, tot Tibi ex toto pectore,
exopto commoda.

NICOLAUS NYMAN.

11-1777
F. 26
Rebarnes hanc scribit
Eran
III - 66